

locustarum, ita quod claritas celi respici vix poterat pre eorum multitudine, vorantes quasi omne viridum tam de vineis quam de arboribus in Septembre; et statim eodem anno sequebatur magna pestilencia in Crutzenaco. Item anno domini 1368. fames maxima fuit in terra ista Renensi. Item anno domini 1369. fuit conflictus magnus apud Sprendelingen (*hs.*: sprede-lingen), et victus Walramus comes de Spanheim et multi interfecti¹⁾.

Gregorius undecimus Lemovicensis successit anno domini 1370. et sedit annis 8. Obiit Rome, ibidem sepultus. Hic primum cardinalis Bellifortis dictus, qui post coronacionem suam propter certas visiones, quas dixit se habuisse a domno Urbano predecessore suo, Romam dolenter ivit ac ibidem curiam transtulit de Avinione. Mortuo domino Gerlaco de Nasaw archiepiscopo Maguntinensi, anno secundo coronacionis domini Gregorii vel circa, ad sugestionem domini Karoli imperatoris dictus dominus Gregorius providit cuidam Johanni Gallico de dicta ecclesia Maguntina. Sed capitulum Maguntinum postulavit dominum Adolffum de Nasaw episcopum Spirenssem. Sed hec postulacio non profecit propter potenciam imperatoris, et predictus Johannes Gallicus habuit possessionem. Sed statim post hoc in brevi vix duobus annis elapsis fuit intoxicatus idem Johannes Gallicus²⁾, et secundario Adolffus episcopus Spirensis postulatus fuit et in possessionem inductus, et sic obtinuit, licet imperator contra fecerit.

* f. 239'. Item anno domini 1373. fuit morsus luporum in homines mirabilis. Et statim sequebatur eodem anno magna pestilencia. Et sequenti, anno scilicet domini 1374, fuit maxima inundacio aquarum per totam Almanniam, et Renus tantum crevit apud Mogunciam, quod excessit superiores gradus ecclesie beate Marie * virginis Maguntine nuncupate Gradus. Et solvit maldrum siliginis in Wormacia 8 solidos Hallensium (*hs.*: s9 hll') et quartale vini 1 solidum Hallensium (*hs.*: s9 hll'). Et eodem anno fuit mirabilis secta corizancium in publico.

Urbanus sextus, nacione Neopolitanus, primo episcopus Barenis et dictus Bartholomeus, successit anno domini 1378, in die pasche coronatus, et sedit annis 11. Et obiit Rome pridie Galli anno domini 1389, sepultus apud Sanctum Petrum. Hic primum archiepiscopus Barenis et postquam electus fuit, dilatavit fimbrias suas, et propter hoc contra se cardinales provocabat. Qui et Romam exierunt et alium in Fundis et in Terracena elegerunt et scisma incepterunt et simul cum suo antipapa in Franciam venerunt. Quod scisma quasi ad 40 annos duravit usque ad concilium generale Constanciense, in

1) Vgl. Chronic. Mogunt. misc. p. 369.
Mogunt. Fontes IV, 362.

2) Vgl. Successio ep.